

Locus nos admonet, ut quoniam diximus rem quae à nullo possit refelli, utrumque tropicum circum zodiaco terminos facere, nec unquam solē alterutrum tropicum excedere posse, uel sursum uel deorsum meando: trans zodiacum uero circum, id est trans uisitam, quae tropicis clauditur, ex utraque parte incipere temperatas. Quæramus quid sit quod ait Vergilius, quæ nullius unquam disciplinae error inuoluit:

Duæ mortalibus ægris

Munere concessæ diuinum, & uia secta per ^{inter} ambas,

Obliquus quæ se signorum uerteret ordo.

Videtur enim dicere his uersibus, zodiacum per temperatas ductum, & solis cursum per ipsas ferri, quod nec opinari fas est, quia neutrum tropicum solis cursus excedit. Num igitur illud attendit, quod diximus, & intra tropicum in ea pusta parte, quae uicina est temperatae, habitatores esse. Nam Syene sub ipso tropico est. Meroë autem tribus milibus octingentis stadiis in perustam à Syene introrsum recedit, & ab illa usque ad terram cinnamomi feracem, sunt stadia octingenta. Et per hæc omnia spatia pusta, licet rari, tamen uita fruuntur habitantes. Ultra uero iam inaccessum est, propter nimium solis ardorem. Cum ergo tamen spatij ex pusta uita ministret, & sine dubio circa uicinam alterius temperatae, id est ἀντοίνωσος, tantundem spatij habere per perustæ fines, & paræ mansuetudinē, non negetur. (Paria enim in utraque parte sunt omnia) ideo credendum est, per poeticam tubam, quæ omnia semper in maius extollit, dixisse, uiam solis sectam per temperatas, quoniam ex utraque parte fines perustæ in eo sunt similes temperatis, quod se patiuntur habitari. An forte poetica licentia particulam pro simili penè particula posuit, & pro sub ambas, per ambas dicere maluit. Nam reuera ductus zodiaci sub ambas temperatas ultro circumque peruenit, non tamen per ambas. Scimus autem & Homerum ipsum, & in omnibus imitorem eius Maronem, sæpe tales mutuas particulas. An (quod mihi uero propius uidetur) per ambas, pro inter ambas uoluit intelligi? Zodiacus enim inter ambas temperatas uoluitur, non per ambas. Familiariter autem per pro inter ponere solet, sicut alibi quoque:

Circum, perque duas in morem fluminis arctos.

Nec enim anguis sidereus arctos secat, sed dum & amplectitur & interuenit, circum eas & inter eas uoluitur, non per eas. Ergo potest constare nobis intellectus, si per ambas, pro inter ambas, more ipsius poetæ dictum existimemus. Nobis aliud ad defensionem, ultra hæc quae diximus, non occurrit. Verum quoniam in medio posuimus, quos fines nunquam uia solis excedat, manifestum est autem omnibus quod Maro dixerit, quæ constat erroris ignaræ, erit ingenij singulorum inuenire, quid possit amplius pro absoluenda hac quaestione conferri.

Non uno, sed gemino oceani ambitu terram omnem circumflui. Et quo modo angustata uerticibus, latior lateribus sit habitabilis nostra. Tum de exiguitate oceani, quem nos magnū uocamus.

Caput

.IX.

His quoque (ut arbitror) non otiosa inspectione tractatis, nunc de oceano quod promissimus astruemus, non uno, sed gemino eius ambitu terræ corpus omne circumflui. Cuius uerus & primus meatus est, qui ab indocto hominum genere nescitur. Is enim quem solum oceanum plures opinantur, de finibus ab illo originali refusus, secundum ex necessitate ambitum fecit. Cæ

e ij terū

Vergilij locus explicatur.

Georgi. prim.
sub ambas
nate dram.

107, 118 mili-
arib: Germa-
nis 24
stadijs . 32
stadia p uno
miliari.

Geor. primo.

Oceanus quo-
modo terram
ambiat.